



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis**

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1655**

Cap. I. De impedimentis Ordinum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

supervixerint, ita ut brevem confessionem facere potuerint: nam tales possunt dici, *non decessisse in conflictu*, strictissimè interpretando legem penalem. Ita nonnulli probabiliter. Sic si extra locum conflictus exportati fuerint, & ibi mortui, poterunt sepeliri in loco sacro.

5. *QUAERO. An debeant permitti aperiri corpora defunctorum?* Resp. ex iusta causa id posse fieri ex consensu propinquorum, maximè cum grassantur morbi aliqui ignoti, ideoque aperiunt Medici, ut illis provideant.

## TRACTATUS VII.

RESOLUTIONES QUÆSTIONUM  
Pastoralium.

DE ORDINANDIS VEL  
ordinatis:

## CAPUT I.

*De impedimentis ordinum:*

I. *QUAERO. Quinam incurrant suspensionem ab Ordine?* Resp.  
i. Qui absque examine, & Episcopi consensu furtim injecisset se multitudinè  
examin-

raminatorum, & simul cum eis Ordinem suscepisset. 2. Qui sine titulo beneficii aut patrimonii sufficientis promotus esset. 3. Similiter suspensum existimant *Navarrus, Suarez, &* cum qui promovetur cum titulo patrimonii, aut beneficii sufficientis, obligavit se ad renunciandum ei statim ac ordinatus fuerit. Nam talis ordinatione ordinari, perinde est ac ordinari sine titulo: & est potius ementitatus titulus, quam verus, quandoquidem pacto, aut juramento ei sit renunciandum. Secus erit, si renunciatio fiat post ordinationem, nullo pacto præcedente. V. *Navar. c. 27. num. 158.* Si vero aliunde non habet, unde se sustentet, talem renunciationem facere prohibetur sine Episcopi licentia per *vident. sess. 21. cap. 2. de Reform. 4.* Qui promovetur ante legitimam ætatem scienter. Nam qui bonâ fide existimat se habere ætatem legitimam, sicut excusatur à culpa, ita & à suspensione. Neque verò cessat suspensio, quando ordinatus scienter ante ætatem legi-

P p timam,

timam postea ætatem attingit, sed debet prius requirere absolutionem à suspensione. 5. Qui ordinatur ab alio non Episcopo, si nec consensu proprio, hic tamen iterum bona fides ordinati excusaret, quia requiritur præsumptio.

2. QUÆRO. *Quid si tales ministrant in Ordine suscepto?* R. tunc incurrunt irregularitatem; maximè si exercent solemniter actum Ordinis sacri. Atque cum suspensio possit tolli ab Episcopo (nisi in Canone exprimat Papæ reservari) tamen irregularitas tantum tollitur à Pontifice, nisi ex delicto occulto proveniat. Notant verò Theologi, eum qui ex delicto occulto irregularis fuerit, non teneri se proderè abstinendo ab officio, si evidens fuerit periculum infamiæ: immò si non possit prius habere dispensationem, præviâ contritione, potest officium exercere, quamdiu tale periculum durarit.

3. QUÆRO. *Quinam ob irregularitatem arceantur à susceptione Ordinum?*

Resp.

Resp. 1. Omnis infamis tam juris quàm facti infamia, contrahit irregularitatem, susceptionem Ordinum impedi-  
entem. Dupliciter autem incurritur.

1. Per sententiam definitivam, quàm quis à Iudice de crimine condēnatur.

2. Per aliqua crimina, quibus ex iuris dispositione irregularitas est annexa, ut sunt simonia duellum, crimen læsæ Majestatis, hæresis : atque etiam tam incurrit hæreticorum fautores, hæreticorum & fautorum filii, *Cap. Statuimus 2. de heret. in. 6.* Si Pater est hæreticus, filius & nepos sunt irregulares: Si Mater. filius tantum. Quod intellige, si moriantur ut tales. Ita Põ-  
tiffex. Sed adverte quod filius debeat nasci Patre jam hæretico, & debet fuisse probatus talis,

Resp. 2. Esse aliquas irregularitates, quæ sunt impedimenta ad Ordines, quæ tamen non proveniunt ex crimine, qualis est ex defectu corporis. Omnis enim defectio membri red-  
dens hominem inhabilē ad celebrandum, vel saltem efficiens, ut sine no-

tabili deformitate ac scandalo celebra-  
re nequeat: inducit irregularitatem, &  
hoc in dubio iudicio Episcopi relin-  
quitur. Sic irregularis iudicatur, qui  
caret visu oculi *sinistri*: ita ut cogatur  
deformiter ad librum se vertere. *Gib-  
bus* non inducit irregularitatem, nisi  
sit notabilis nimis deformitas; nec  
claudicatio, si non sit tanta, ut scipio-  
nem vel pedem ligneum in altari re-  
quirat. Qui *morbum caducum* patiun-  
tur, numquam possunt ordinari, & post  
ordinationem non possunt celebrare,  
quamdiu periculum fuerit; idem dic-  
de *obsessis & arreptitiis*. Irregularitatem  
etiam & impedimentum ad Ordines  
incurrunt *bimagi & illegitimi*, *Bigami*  
dicuntur, qui bis matrimonio fuerunt  
iuncti, vel qui contraxerunt cum vi-  
dua aut corrupta, vel etiam quando  
quis cognoscit uxorem post adulterium,  
sive sciat, sive non. *Illegitimus* autem  
dicitur, qui ex copula fornicaria seu  
illegitima natus. Per matrimonium  
tamen subsequens, filii fornicarii sunt  
legitimi, si sint filii naturales, hoc est,

qui geniti sint ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis talium filiorum, nullum erat impedimentum, quod redderet matrimonium nullum inter illos. *Spurii* enim, hoc est, orti ex parentibus qui tempore conceptionis & natiuitatis impedimentum dirimens habebant, manent illegitimi. In hac irregularitate solus Papa dispensat ad Ordinem sacrum, & beneficium curatum. Ad minores Ordines, & beneficium simplex dispensat Episcopus.

4. *QUAERO. Quid de irregularitate proveniente ex homicidio, quando incurratur, ita ut impediatur ordinationem?*

Resp. 1. Ex homicidio voluntario, hoc est, directe & per se intento, incurritur irregularitas, quæ extenditur ad mutilationem, dum membrum aliquod abscinditur. Atque etiam incurrit mandantes, aut consulentes talē mutilationem. Resp. 2. Non incurrit, qui non valens aliter evadere, mutilat in vasorem. Si tamen possit fugere, incurrit, nisi sit fuga periculosa, vel igno-

miniosa; quia tunc censetur moraliter mors inevitabilis, & non est culpa. Idem sentiunt multi, si occidas ad rerum tuarum necessariam defensionem. Item si ad licitam proximi defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quantum ad eos qui militant, nemo ex bello justo ad vitæ defensionem necessario, irregularis est, licet in eo occidat. Militantes verò in bello justo aggressivo, fiunt irregulares, si propriis manibus mutilarint, aliàs nõ, ut ex communi docet Molina Clerici tamen in aggressivo bello etiam justo militare non possunt, maximè si sine Clerici in Sacris. *Capitul. caus. 23. questione octava.* Possunt tamen ex pia causa & Superioris licentia illi interesse, & sine periculo alios exhortari ad strenuè pugnandum. Respond. Quantum ad homicidium casuale (quale dicitur, quod præter intentionem, & absque necessaria defensione contingit) si quis det operam rei etiã licitæ, si non adhibet debitam circumspeditionem, ne noceat, & se-  
qua-



quatur ex opere homicidium, fit irregularis, quia censetur tunc homicidium in causa voluntarium, Si debitam diligentiam quis adhibuerit, non incurrit, etiam si det operam rei illicitæ, nisi in casibus à jure expressis. Ratio est, quia tunc censetur involuntarium, & per diligentiam abstergitur periculum, ratione cujus actus talis posset tendere ad homicidium. Advertè verò, cum multi concurrunt ad actum periculosum, si quis occiditur, omnes censerì irregulares. Sic si multi ex consulto eundem hominem sunt aggressi, licet ex unico vulnere moriatur, omnes de homicidio & irregularitate tenentur, quia censentur una moralis causa homicidii. Item cum multi jaciunt lapides, & nescitur quis occiderit, omnes censendi sunt irregulares.

5. *QUAERO. Quid de illis qui in iudicio concurrunt ad causam sanguinis. Accusator, Testis, Notarius, Iudex, &c.*  
 Resp. 1. Si ex accusatione alicujus sequatur mors. Accusator fit irregularis.

P. p. 4.

Si raa

Si tamen Clericus protestetur se non intendere iudicium sanguinis, non fit irregularis, ca. 2. de homicidio. Et hoc verum est secundum multos, licet haberet animum protestationi contrarium, quia jus pontificium non videtur requirere nisi externam protestationem, disponens de actibus externis. Accusans de crimine quod mortem non meretur, si Iudex morte puniat, non fit irregularis. Resp. 2. Idem dicendum de teste, quod jam dixi de accusatore. Hoc tamen adverte, quod testis Clericus nullo jure excipitur, etiam factâ protestatione, sicut Accusator, Resp. 3. Iudicem & cæteros inferiores ministros in causa sanguinis, puta tabelliones, procuratores, sollicitatores, fieri irregulares. Potest tamen Episcopus Abbas, vel alius jurisdictionem habens sine, irregularitatis metu causæ criminalis alteri actionem injungere: quia voluntas committentis jurisdictionem, non fertur ad homicidium, sed ad justam gubernationem. *Adverte verò juxta Capit Sen-*

sententiam sanguinis, non posse Clericos  
in loco supplicii assistere. Quod re-  
stringit communis sententia ad Cle-  
ricos in Sacris, & Beneficiarios. Atque  
Suarez, & alii id etiam solum putant  
in illis veniale. Hæc satis ad nostrum  
propositum de his irregularitatibus,  
de quibus videri possunt *Sayrus Sua-*  
*rez. Filliuc.* & alii ex professo tractan-  
tes.

## CAPUT II.

*De Lectione horarum, ratione ordinis.*

I. **Q**UAERO. *An teneantur in Sa-*  
*cris constituti, sub peccato mor-*  
*tali legere horas canonicas?* Resp. tene-  
ri, & quidem mortifere peccare etiam  
semel omittendo. Est communis sen-  
tentia, contra *Angelum & Recharum,*  
qui dixerunt non esse peccatum morta-  
le, nisi quis consuetudinem omittendi  
habeat, vel ex contemptu faciat. Imò  
plerique docent esse mortale vel unam  
horam negligere, puta tertiam, vel  
sextam, vel completorium. Non assen-  
tior tamen *Navarr.* docenti omissio-  
nem tertiæ partis, v. gr. unius Psalmi  
cum